



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

Caput XI. De Spe fidelium, ejusque necessitate, & certitudine.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83665](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83665)

stantibus habitus supernaturalis fidei non permanet.

Probatur de
Beatis,

Vel enim de beatorum spiritibus loquimur, vel de in gehennam detrusis. Si de illis verba faciamus, saltem quoad præcipuum *objectum* fides non manet; quoniam non vident *per speculum*, & *in enigmate*, sed *facie ad faciem*. Videtur id ab Apostolo definitum in priori ad Corinth. 111. 12. ubi etiam cæteris virtutibus præfert charitatem, eoquod nunquam excidat. Apostolo consentit Augustinus scribens lib. xiv. de Trinit. 11. num. 4. *Neque enim jam fides erit, qua credantur quæ non videntur; sed species qua videantur quæ credebantur*. Neque necessum est fidem beatis spiritibus tribuere ad ornatum, cum omnem ipsi decorem conferat splendor

gloriæ; & virtutum munera ob supernaturalia præsertim opera sint collata.

Si autem sermo sit de damnatis; hi omnium supernaturalium donorum ornamento expoliantur, permanente duntaxat *charactere* quo fideles ab infidelibus secernuntur. Ait quidem Jacobus cap. 11. 19. *Et demones credunt, & contremiscunt*: sed ut ostendat non professe ad salutem fides, qua malorum vindicem pertimescimus, nisi serventur mandata; non ut comparationem influat inter fidem demonum, hominumque fidelium. Illi namque credunt perspicaci mentis acumine, rerum eventu, expletis vaticiniis, proprioque experimento coacti; isti Spiritus sancti illustratione, pio mentis affectu, ac libera voluntate.

CAPUT XI.

De Spe fidelium, ejusque necessitate, & certitudine.

SUMMARIUM.

1. Quid nomine spei intelligatur.
2. Objectum materiale & formale spei.
3. Quomodo spes à fide & charitate distinguitur.
4. S. Paulus, & Augustinus quomodo de spe intelligendi.
5. Quomodo spes permaneat in peccatoribus, Beatis, animabus purgantibus, damnis, & hæreticis.
6. Probatur spes persistere in eo, cui divinitus revelata damnatio.

7. Probatur spes non posse in eo persistere, cui revelata damnatio.
8. Revelatio de damnatione foret tantum comminatio, & sic non deberet spes deponi.
9. Revelatio autem de absoluta potentia foret definita, & immutabilis sententia.
10. Extra Hypothesin teneat quisque sperare gratiam, & gloriam.
11. Unde sperantium fiducia & certitudo desumenda.
12. Certitudo spei timorem includit.

I.
Quid Nomi-
ne spei in-
telligatur.

EX fide, inquit S. P. Aug. cap. clv. Ench. n. 30. *nascitur spes bona fidelium*; cum enim fides rerum sperandarum præstantiam statuatur ob oculos, illarum gignit desiderium atque expectationem, sine qua humana studia, laboresque flaccescerent. Nam ut temporalium actionum alitrix est præterfluentium bonorum fiducia, canente Tibullo,

*Spes alit agricolas, spes sulcis credit
aratri*

*Semina, quæ magno sænore reddat
ager;*

*Hæc laqueo volucres, hæc captat
arundine pisces,*

Cum tenues bamos abdidit ante cibos.

*Spes etiam valida solatur compede
vinculum,*

*Crura sonant ferro, sed canit inter
opus:*

ita fideles bonis operibus vehementius insudant, dum fiduciam, & gloriam spei, juxta Apostoli monitum ad Heb. 111. 6. *firmam* retinent. De Spe itaque hoc

loco pertractandum est. Spei autem nomine non intelligimus rerum adversarum expectationem, ut Virgilius in iv. Aen. ab Augustino laudatus cap. 8. Ench. dum ait,

*Hunc ego si potui tantum sperare do-
lorem,*

& ipsemet Augustinus in Psalmum 64. scribens, *Profers spinas? ignem spera*; sed expectationem duntaxat bonorum: atque utimur hoc vocabulo spei non tantum ad significandum spei nostræ objectum, ut dum dicimus cum Psal. xiii. 6. *Dominus spes ejus est*, vel gratiam & auctoritatem eorum, quibus intercedentibus sempiterna bona speramus, ut dum quotidie salutamus his verbis Deiparam, *Spes nostra, salve*; verum etiam ad significandam inditam divinitus virtutem, qua pium desiderii & fiduciæ motum exerimus. Atque virtutem hanc definire solent Theologi: *Spes est virtus divinitus infusa, per quam certa cum fiducia nostræ salutis, & æternæ vitæ bona expectamus*: aut cum Haymone,

monē, *Spes eſt certa expectatio futura beatitudinis veniens ex Dei gratia, & meritis præcedentibus.*

2.
Objectum
materiale &
formale ſpei.

Hujus ſpei *objectum*, ut appellant, *materiale* eſt ipſe Deus, in quantum eſt immortalium animorum vita, merces & finis ultimus; nam alioqui ſpes non eſſet inter virtutes Theologicas connumeranda; cum illa ſit virtus Theologica, quæ Deum habet pro objecto. At cum permulta nos ad Deum ipſum perducant, gratia præſertim, peccatorum remiſſio, & finalis perfeverantia; etiam hæc ſunt ſpei noſtræ *objectum*, ſed veluti ſecundarium, eoquod à nobis ratione ultimi finis tanquam media expectantur, neque cor noſtrum attrahant, niſi ob ſummi boni conſecutionem. Nam ſicut fides Catholica, quæ Deum ſummam veritatem credit, etiam alias veritates complures proſitetur ſub ea ratione, quod ore ipſius Dei revelata ſunt: ita ſpes, quæ in Deum ejusque beatitudinem tendit, reſpicit etiam gratiarum munera, quatenus viam iterant ad ipſam beatitudinem capeſſendam; ac etiam charitas, quæ Deum ſummum bonum diligimus, ſeſe extendit ad proximum, quem tamen ob ſummum bonum directo amore proſequimur. Ac juxta hanc finis mediorumque diſtinctionem accipiendum eſt, quod vulgo à Theologis traditur, ſpem oratione Dominica, fidem Symbolo, charitatem decalogo contineri. *Objectum* autem *formale* ſpei non eſt in Schola noſtra finis ultimi arduitas, ſed potius Dei omnipotentia ac miſericordia, quibus opiculantibus æternam vitam, quæ nobis repromiſſa eſt, acquirere poſſumus, & ſine quibus arduitas illa animum noſtrum potius excruciet, ac deterret. Extat in ſententiis à Sto bæo collectis pag. 460. illud Lini,

Omnia ſunt ſperanda, nihil ſperare negatum,

Nam nihil eſt, quod non valeat Divina poteſtas.

Poteſtati autem Divinæ ſi beneficentiam, miſericordiam, largitatemque ſupremi Numini addas, habes quo in ſpem vivam animus erigatur.

3.
Quomodo
ſpes à fide &
charitate diſtinguatur.

Spes à fide, & à charitate diſtinguitur, etiamſi ad actum ſpei requiratur amor aliquis inchoatus, quo Deus diſtinguitur, ut inquit Eſtius in 111. diſt. 26. §. 2. quatenus ab intellectu proponitur, ut ſummum ac beatificum noſtrum bonum, licet ſemper non adit amor charitatis.

R. P. Berti Theol. Tom. IV.

ritatis, quo voluntas affecta cætera omnia ſummo bono poſtponat. Et ſpem quidem à fide diſtingui ſatis liquet, cum aliqua credantur, quæ ſpei noſtræ *objectum* non ſunt, ſed potius horrores, atque timoris. *Quis namque fidelium penas non credit impiorum? nec ſperat tamen*, inquit cap. 8. n. 2. Enchiridii Auguſtini. Diſtingui autem ſpem ab habitu charitatis docent Catholici omnes, atque his momentis evincunt. Primo Tridentina Synodus ſeſſ. vi. cap. 6. ait peccatores ad juſtificationem diſponi, dum *ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo in ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore*: & can. 3. definit poſſe hominem ſuffultum præveniente Spiritus ſancti inſpiratione & adjutorio, *ſperare ſicut oportet*; ideoque ſpes tanquam diſpoſitio juſtificationem præcedit, & ab ipſa ſejungitur. Deinde proſcripta eſt à Clem. XI. 57. propoſitio Quesnellii, *Totum deſt peccatori quando ei deſt ſpes; & non eſt ſpes in Deo, ubi non eſt amor Dei*; quam ſecundam propoſitionis partem *de amore Dei regnante*, ſcilicet de charitate, quæ juſtificat, recte exponit Fulgentius Bellelli poſtremo in Opere Vol. 2. pag. 192. Præterea S. P. Auguſtinus Tract. 83. in Joannem ſpem aliquam eſſe *informem* aperte affirmat his verbis: *Fruſtra quidem, ſed tamen poteſt ſperare veniam, qui non diligit*. Poſtremo qui inops eſt meriti, ſed illud tamen cupit propria induſtria, aliorumque beneficio comparare, etiam ſine præſumptionis nota præmium expectat, non abſolute & immediate, ſed conditionate, meritoque præmiſſo. Hoc enim pacto laudabiliter adoleſcentes literis dant operam, ut ſcientia prædicti acquirant virtutis mercedem atque ornamentum; & qui poteſt augere divitias, ſperat ampliorem rei domesticæ poſſeſſionem. Quamvis ergo iniquus & ſceleſtiſſimus nullum habeat gloriæ meritum, quia tamen donec vita ſungitur, poteſt à Dei munificentia gratiam & remiſſionem obtinere, perfeverat in illo virtus ſpei, qua confidit ſe æternam vitam conſecuturum, conditionate tamen, & ſi reſpiceat; nam alioqui foret hæc inanis fiducia, ac temeraria præſumptio.

Itaque dum Apoſtolus ait ad Rom. v. 5.

Spes autem non confundit, quia charitas Dei diſfuſa eſt in cordibus noſtris, Auguſtinus & dum Auguſtinus docet ſerm. 31. de Verbis Domini, nunc 110. *Solis filius ſpem eſſe*, & in cap. 8. Enchiridii, *Spes*

4.

S. Paulus & Auguſtinus
quomodo de
ſpe intelli-
gendi.

Rr

vera

vero esse sine amore non potest, cujus generis plura occurrunt in aureis ipsius libris frequentissima: si amorem & charitatem accipiamus pro gratia sanctificante; non intelligenda sunt hæc, & similia de spe *informi*, sed de spe *viva*, qua aliquis expectat beatitudinem *per merita*, quæ jam habet, ut exponit S. Thomas I. 2. q. 65. art. 4. ad 3. & Fulgentius Bellelli loco citato. Quamquam Augustinum loqui de amore tantum inchoato scribant viri alii in Augustiniana lectione exercitatissimi, Guilelmus Estius paulo supra laudatus, Joannes Lensæus lib. v. r. Summ. Christ. Piet. cap. 3. Florentius De Cocq. Tract. IV. cap. 5. alique permulti. Sane spem esse cum aliquo amore constat, quoniam nihil speratur si nulla ratione diligitur, & quemadmodum spes humana & carnalis non est absque amore humano, & carnali, ita spes Christiano homine digna, & spiritualis non est absque omni prorsus amore spirituali & recto, amore scilicet sempiternæ felicitatis.

5.
Quomodo
spes permaneat in peccatoribus,
Beatis, Animabus purgantibus,
Dæmone, damnatis, &
Hæreticis.

Liquet ex his Spei habitum etiam in magnis peccatoribus permanere, uti erat ante justificationem in Publicano, quem dum adhuc premebat conscientia, spes sublevabat. In Beatis spes, saltem quoad *objectum primarium*, non adest; nam inquit Apostolus ad Rom. VIII. 24. *Spes autem quæ videtur, non est spes: nam quod videt quis, quid sperat?* Et S. P. Augustinus cap. 8. Ench. *Spes autem non nisi bonarum rerum est, nec nisi futurarum.* Existere adhuc in illis spem futuræ gloriæ corporis, in qua Deo adhæreant vehementiori dilectione, potest propugnari; quamvis mihi oppositum videatur verisimilius, & quia sublato objecto principe necessum non est permanere virtutem; & quia in beatis expectatio futuræ glorificationis non solum est firma certitudine spei, sed etiam certitudine immutabilis cognitionis, orta ex æternæ vitæ securitate, ac statu patriæ. Aliter de animabus in Purgatorio degentibus asserendum est; nam in his quemadmodum fides, ita spes manet proculdubio. At in dæmonibus ac damnatis, quoniam extrema miseria non compatitur rerum meliorum expectationem, etsi ad maximum cruciamentum perseverat inditus animo amor beatitudinis, nullum spes locum habet. Quid vero de hæreticis? Qualemunque hi fiduciam jactitent, nequit esse spes Christianorum; nam destituti sunt fide, quæ est *substantia rerum sperandarum*. Hinc S. Pater

Tract. 45. in Joannem num. 2. ait: *Non est autem cuiquam spes vera & certa semper vivendi, nisi agnoscat vitam quod est Christus, & per januam intret in ovile.*

Vertunt in quæstionem Scholastici, an spes in eo persisteret ulla, cui divinitus facta esset futuræ damnationis revelatio. Ac affirmativam partem tenent Hurtadus, Azorius, Gavardi; negativam Gonet, Suarez, Salmanticenses, cum quibus in partes ceteri discissi sunt. Nituntur vero qui affirmativam sententiam propugnant argumentationibus istiusmodi. Primo, inquit, stat cum certa revelatione salutis timor, ut in Paulo ad Corinth. IX. 27. ideoque consistere potest spes cum futuræ damnationis revelatione. Deinde revelatio hæc nequaquam everteret testimonia apertissima Scripturarum, quibus Divina misericordia poenitentibus repromittitur; & consequenter essent in eo casu Divina eloquia Christianæ spei basis ac fundamentum. Accedunt PP. docentes de nullo esse desperandum, quamdiu in hac mortali vita deget impius. Videtur denique niti hæc sententia rationi, quoniam in hac hypothese teneretur quisque vitare peccata, & legem implere, non enim præscientia futuris affert necessitatem, nec arbitrium evertit, nec legis naturam immutat: imo posset quis reprobari ob peccatum desperationis, quod adhuc teneretur effugere; ac proinde semper ei incumberet sperandi præceptum.

Oppositæ tamen sententiæ assertores suis minime desistuntur præsidii. Ac primo proferunt auctoritatem Augustini scribentis lib. XXV. de Civ. Dei cap. 15. Ecclesiam, si sciret quinam sint reprobat, pro eis non oraturam, *quemadmodum non orat pro dæmone.* Ac oratio spei invictissimum est argumentum. Addunt eundem Augustinum lib. 2. de Genes. ad lit. cap. 17. & 18. affirmare Angelum non præcisse proprium lapsum, quia alias non posset sperare. At S. P. eo loci disputat adversus Genethliacos propugnatores fati, quo sane orandi causa & spes auferretur; unde locus ille ad hanc rem nihil valet. Producent & D. Thomam q. 23. de Verit. art. 8. ad 2. ubi ait Deum non posse ordinata potentia revelare alicui suam damnationem, *quia talis revelatio cogeret eum desperare.* Addunt validam rationem, quia actus spei dependet à practico iudicio, quo æterna salus nedum percipitur possibilis, sed etiam proponatur tanquam probabiliter futura; spes enim, ut Augustinus ait, *est futurorum.* Alio-

6.
Probatur
spem persisteri in eo,
cui divinitus
revelata damnatio.

7.
Probatur
non posse
spem in eo
persistere,
cui revelata
damnatio.

Alioqui ſi ad excitandam ſpem ſat eſſet metaphyſica beatitudinis poſſibilitas, ſperare poſſent etiam dæmones ac damnati.

8. Revelatio de damnatione foret tantum comminatio, & ſic non deberet ſpes deponi.

Sententia noſtra eſt non poſſe huiusmodi caſum contingere in hac rerum conſtitutione, in qua Deus decrevit unumquemque, quamdiu vivit, poſſe conſequi ſalutem, præcepitque ſingulis ut gratiam & gloriam à Divina miſericordia expectent: unde ſi alicui fieret damnationis revelatio, hæc nonniſi comminatio foret, & accipienda de rebus ſic ſtantibus, nimirum ſi ad meliorem frugem non revocaretur peccator. Quare revelatione accepta non ſpem deponere deberet, ſed Ninivitarum exemplo in cinere & cilicio agere pœnitentiam. Ille enim, qui iniquo diceret, *Imminet tibi inevitabilis perditio*, ait quoque: *Nolo mortem peccatoris, ſed magis ut convertatur & vivat*. Atque idem docet citato loco S. Thomas, necnon S. Bonaventura in 1. diſt. 48. & in libro de Iudicio animæ Richelius. At nonne, inquiunt, revelavit Deus ſempiternum interitum Antichriſti? Utique: præmonuit quomodo ſeducor ille dignoſceretur, ait futurum ejus adventum in ſignis, & prodigiis mendacii, exitum ipſius miſerrimum prænuntiavit. At quis Antichriſtum ſalvum fieri ſperaret? quis pro ipſo oraret Deum? De Antichriſto itaque, & cæteris hominibus impiis diſſimilis ratio eſt; quia ille in hac rerum ſerie, in hac Scripturarum ſanctarum revelatione eſt filius perditionis manifeſtus; alii occulti ſunt, iisque indictum ut convertantur, ut ingemiſcant, ut ſperent.

9. Revelatio autem de abſoluta potentia foret definita & immutabilis ſententia.

At ſi de abſoluta, ut inquiunt, potentia hæc fieret revelatio, nec in dubium poſſet revocari, nec eſſet comminatio, ſed definita & immutabilis præſcriptio ac ſententia; ſubſcribo iis, qui tenent ſpei locum non ſuperſeſſe: quoniam ſpei obiectum non eſt bonum duntaxat poſſibile, ſed quod apprehenditur tanquam futurum. Quis autem futurum eſſe probabili ratione percipiat, quod certa præſcientia non futurum præſenſit? Neque enim invictæ ſunt argumentationes contrariæ. Nam Paulus dum ad Corinthios ſcripſit, non habebat plenam ſalutis ſuæ certitudinem, ut Gregorii Magni, & Proſperi auctoritate demonſtrant Eſtius, Menochius, Tirinus, A Lapide, Tom. xv. Bibl. Max. pag. 473. Quamquam dicere poterat, *Cuſtigo corpus meum &c.* non pertimeſcens damnationem, ſed demonſtrans afflictationes corporis ad illam evitandam requiri. Scripturæ, ac Patres

R. P. Berti Theol. Tom. IV.

uniuſim loquuntur, rebusque ſic ſtanti- bus: non vero in hypotheſi, de qua diſceptatur, nec de homine impio ſingulatim, ac in individuo. Ratio denique nihil evincit, quoniam ut quis teneatur ad implenda præcepta ſufficit quod hæc poſſibilia ſint, vigeatque libertas: at ad ſpem excitandam non ſat eſt beatitudinem eſſe poſſibilem, niſi etiam prudenter apprehendi poſſit tanquam futura. In illa ergo hypotheſi, quamvis nemo poſſet deſperare ex motivo contrario ſpei theologicæ, ut inquiunt Salmanticenſes, ſcilicet ex parte omnipotentis, & miſericordiæ Dei, quod ſane ſceleſtum eſſet atque nefarium; nihilo tamen minus ſperare non poſſet ex eo capite, quod beatitudo non eſſet futura, neque ut talis poſſet prudenti iudicio proponi. Sed adeat qui adhuc dubitatione diſtrahitur recenſitos, accuratiſſimosque Scriptores.

Hæc, quæ nunquam re eveniet, excepta hypotheſi, tenetur quilibet ſperare à bonorum omnium largitore gratiam & gloriam. Nam Paralip. 1. cap. x. 14. inter iniquitates Saul ea præſertim perſtringitur, quod non ſperaverit in Domino. Sublata ſpe immortalitatis impios noxias tantum appetere voluptates, liquet ex cap. 2. Sapientiæ: & Alex. VII. eam propoſitionem conſixit: *Homo nunquam ullo vite ſuæ tempore tenetur elicere actum fidei, ſpei, & caritatis ex vi præceptorum divinatorum*. Revera quis non videat ſpem à nobis exigere Divinæ promiſſæ, ſacra eloquia, accepta hæcenus beneficia, & in omnes profuſam Salvatoris noſtri Dei charitatem, miſericordiam, & redemptionem? Sperandum eſt ergo, ac præſertim dum accedimus ad Sacramentum reconciliationis, & dum ad januaſ magni Patrisfamilias oratione pulſamus; nam ſpem ad juſtificationem diſponere deſinit Seſſ. vi. cap. 6. Synodus Tridentina; & orationem eſſe ſpem, ac deſiderium pauperum, ait in Pſalmo 117. regius Vates.

At quanta eſt ſperantium certitudo ac fiducia? Maxima quidem, ac multiplici ex capite orta. Primum ex tam apertis Dei in ſacra Scriptura promiſſis, de quibus Apoſtolus 2. ad Timoth. 1. 12. *Scio cui credidi & certus ſum, &c.* & Auguſtinus in Pſalm. 123. num. 2. *Spes autem noſtra tam certa eſt, quaſi jam res perfectæ ſit; neque enim timemus promittente veritate. Veritas enim nec falli poteſt, nec fallere.* Deinde ex Chriſti Redemptione, dicente Apoſtolo Petro Epistoſta 1.1. cap. 1.3. *Secundum miſericordiam*

10. Extra hypotheſin tenetur quique ſperare gratiam & gloriam.

11. Unde ſperantium fiducia & certitudo deſumenda.

Rr 2

ricor.

ricordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis; & S. Pater in 1. de Doctr. Chr. cap. 15. *Quanta se fiducia spes credentium consolatur considerans quantus quanta pro nondum credentibus passus sit!* Vide & serm. 157. alias 23. de Verbis Apostoli. Præterea ex collatis in nos innumeris beneficiis, & accepta præsertim baptismatis gratia, & mortis Christi beneficiis quamplurimis: unde Paulus ad Rom. v. 5. *Spes, inquit, non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris:* & magnus Augustinus in Psalmum 148. n. m. 8. *Promissionis Dei tales arrhas accepimus, tenemus mortem Christi, tenemus sanguinem Christi, &c.* Atque ex his liquet quam imbecillis sit & infirma terrena spes, cujus nec objectum est certum, nec incommutabile, nec summe bonum: sponsor autem infidus, impotens, iniquus, & sine arrha, sine vade, sine futurorum eventuum præscientia.

12.
Certitudo
spei timorem
includit.

Hæc tamen certitudo spei salutarem timorem minime excludit; ut adversus Heterodoxos demonstravi Tom. III. pag. 342. Cavenda est ergo inanis jactantia, ac temeraria præsumptio: & juxta Apostoli monitum ad Philipp. 11. danda bonis operibus opera, cum timore

re & tremore: apprehendenda est disciplina, ne quando irascatur Dominus, ut inquit David Ps. 2. & humilitas exercenda, ne homo, dum quod Dei est deputat suum, amittat quod Dei est, ait de Nat. & Gratia cap. xxxi. num. 36. præstantissimus morum magister Augustinus. Illustria sunt etiam, nec prætermitti debent, verba S. Hieronymi de Custodia Virginitatis ad Eustochium. *Nolo tibi venire superbiam de proposito, sed timorem. Omnia incedis auro, latro tibi vitandus est. Stadium est hæc vita mortalibus, hic contendimus ut alibi coronemur. Nemo inter serpentes & scorpiones securus ingreditur. Et inebriatus est, inquit Dominus, gladius meus in calo: & tu pacem arbitraris in terra, quæ tribulos generat & spinas, quam serpens comedit?* Et infra: *Quamdiu hoc fragili corpore detinemur, quamdiu habemus thesaurum ipsum in vasis fictilibus, & concupiscit spiritus adversus carnem, & caro adversus spiritum, nulla est certa victoria.* Plura ibidem Hieronymus scite & eloquenter, etiam affirmat nullam esse in illa Epistola Rhetorici pompam sermonis. Ex quibus patet quod definitum est alibi, certitudinem spei conditionatam esse, neque hæsitacionem, & formidinem omnem expellere.

C A P U T XII.

Timorem Domini esse bonum, & commendandum.

S U M M A R I U M.

1. An timor servilis sit bonus, utilis, & Donum Dei.
2. Quid timor naturalis, voluntarius, & rationalis, mundanus, servilis, filialis, & castus.
3. Timor servilis alius servilis ex servilis, alius ordinatus, & rectus.
4. Propositio 1. Timor mundanus vanus, perversus, & noxius est.
5. Propositio 2. Timor servilis ut bonus, utilis, supernaturalis. & Donum Dei.
6. Varia bona ex timore proveniunt.
7. Timor servilis est initium sapientiæ, donum Spiritus S. & non est peccatum.
8. 9. 10. & 11. Objectionum solutiones.
12. Probatur 3. Propositio.
13. Quomodo timor in sæculum sæculi permaneat.

1.
An timor
servilis sit
bonus, uti-
lis & donum
Dei.

POST Lutherum, etiam Janseniani pessime de timore Domini disseruerunt: quos præstat breviter hoc loco refutare: nam utrum timor ad talem perfectionis gradum perveniat, ut excludat omnem voluntatem peccandi, & sufficiat ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ recipiendam, non est loci hujus definire. Ostendam duntaxat timorem, quem *servilem* appellant, esse substantiâ suâ bonum, utilem, donum Dei, neque reddere hominem impium, neque viam sternere ad desperandum, neque sibi repræsentare Deum tanquam durum & intractabilem; ut hæretici, novi-

que dogmatistæ contendunt. Exponam autem veram Augustini sententiam, quam præ cæteris assecutos arbitror beatum Thomam 2. 2. q. 19. D. Bonaventuram in 111. dist. 34. p. 2. Aegidium nostrum lect. 25. in cap. 8. ad Romanos, Estium in distinct. 34. lib. 3. Joannem Morinum in posthumo Opere de Contrit. cap. 4. Christianum Lupum in Tract. ejusdem argumenti cap. 15. & ne cæteros persequar, Fulgentium Bellelli lib. v. adversus Bajanam & Jansenianam hæresim; tamen ex uno Augustino curabo controversiam dirimere.

Ac